

utiq; conscientiâ, salvò Ministeriò verbi, quò Ecclesiarum ministri funguntur, salvâ pietate, salva fidei analogiâ, sine reprehensione, sine offensione bonorum, sine læsione veritatis Theologica & Biblica, omnes in Ecclesiâ nostrâ demortuos, exceptis iis, quorum mors notoriè nobis omnem salutis spem adimit, iis tamen cum cautelis, quas suò locò adferemus, vulgari loquendi more BEATOS, & Germanorum idiomate, *Seelig* quodq; recenter de Regibus, Principibusq; usurpari cæpit, *Gottseelig* ex charitatis Christiana, suis fundamentis nixa, præsumptione, prædicari posse, & postquam consuetudo semel invaluit, nec sine infirmorum offensione mutari potest, omninò debere.

§. XX. Comprobat hanc assertionem (1) Dicitur Johannæum, fusè à nobis hæctenus consideratum: *Beati morientes in Domino à nunc*, seu ab ipsò discessus sui ex hâc vitâ momentò. Si enim, qui in confessione Domini sincerâ & adeò fiduciâ in ipsum positâ moriuntur, ab ipsò tempore excessus sui è corpore beati sunt, etiam ab illò ipsò tempore beati prædicari possunt. Nam juxta Philosophorum regulam: Modum essendi sequitur modus prædicandi. Ut autem in aliis propositionibus universalibus, ubi de specialibus subsumptio instituenda est, eâ vel immotâ veritate nititur, vel præsumptivâ. Utpote cum Paulus pronunciat: *Quicumq; totò corde credit, justificatur, qui verò ore confitetur, salutem consequitur*; Act. X. 10. tum quando de ipsò Paulò, cæterisque Apostolis prædicatur, quod salutem consecuti sint, quia in Christum crediderint & eundem ore coram totò mundò fuerint confessi, Marc. XVI. 20. 2. Tim. IV. 7 & 8. prædicatio beatitudinis, de ipsis facta, certa est & infallibilis, quia revelationi, quæ mentiri non potest, Malach. III. 6. innititur. At quando eadem beatitudo de quibuscunq; aliis, in fide & confessione Christi morientibus, prædicatur, prædicatio quidem non est omnimodo certa & extra omnem dubitationem posita, quia quamquam confessio quidem Christi externa in oculos auresq; incurrere, adeoque per ipsos sensus certò & indubitato nobis innotescere possit, confessionis tamen sinceritas & fides, quæ res est intra animum consistens, non nisi per externa signa, quæ fallere possunt, sese manifestat, itaque de nemine hominum citra omnem incertitudinis metum beatitudinem prædicari posse ultrò intelligitur. At quia tamen signa internæ rei externa, rem ipsam pro ratione signorum vel probabilissimè, quam certitudinem nonnunquam mo-